



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An posse gignere filium sit aliqua potentia in patre quæ non sit filio. F. G

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

spicuum aperire quomodo sit hoc verum, & ideo sub silentio potius esset prætereundum, nisi me super hoc aliquid loqui cogeret instatia quærentiū.

Hic aperitur ex quo sensu accipienda sint. E

POTEST ergo sic intelligi. Non enim non potuit sed non oportuit, id est, non ex impotentia sui fuit quod filius nō genuit, sed ei non cōueniebat: sicut Deus filius nō est De' pater, nec tamē hoc ex impotentia sui est. Nam & pater similiter non est filius, nec hoc est ex impotētia patris. Sed quærit Maximinus Arrianorum episcopus, Vndē ergo est quod pater nō potest esse filius, vel filius pater? Non utique ex impotentia, sed pater proprietate generationis pater est, qua oportet eum non esse filiū: & filius proprietate natiuitatis filius est, qua oportet eum nō esse patrem. De quibus proprietatibus postea plenius tractabitur.

Lib. 3 ca. 14.

*Distinct. 10.
huius primi.*

Vtrum pater natura sit potens gignere filium: & an hoc sit aliqua potentia que sit in filio. F

ITEM quæritur à quibusdam, Si pater potens sit natura gignere filium, & an hoc sit aliqua potētia quæ sit in filio? Ad quod dicimus, quia pater non est potens nisi natura: eius enim potentia natura est ve essentia. At, inquiunt illi: Si potens est gignere, habet ergo potentiam gignēdi. Filius autem non habet potētiā gignendi, si nō potest gignere, habet ergo aliquā potētiā pater quam non habet filius. Non sequitur. Eādē enim potētiā habet penit' filius, quā & pater, qua pater potuit gignere, & filius gigni potuit. Eadē .n. potentia est in filio, qua potuit gigni, quæ est in patre, qua potuit gignere. Sed cōtra hoc opponitur, Aliud est posse gignere, aliud est posse gigni: quia aliud est gignere, & aliud gigni. Hic distinguēdū est. Si enim cū dicitur, aliud est posse gignere, aliud posse gigni: aliā significās potētiā, qua pater potens

Oppositio.

rens est gignere, & aliam, qua filius potens est gigni, falsus est intellectus: Si autem dicas, patrem posse habere aliam proprietatem siue notionem qua genitor est; & filium aliam, qua genitus est, verus est intellectus. Aliam enim pater proprietatem qua pater est: aliam filius, qua filius est.

Quomodo intelligendum sit filius habet vel non habet potentiam generandi.

ITA etiam cum dicitur, filius non habet potentiam generandi quam pater habet, dupliciter intelligi potest. Si enim dicatur, filius non habet potentiam generandi quam & pater, scilicet qua potens sit ad generandum, id est, ut genuerit vel ut generet sicut pater, verum est, si vero intelligatur, sic, non habet potentiam qua possit gigni vel genitus esse, qua eadem pater potens est ut genuerit vel ut generet, falsum est. Sicut dicitur, pater habet potentiam qua potest esse pater, filius vero non habet potentiam qua possit esse pater: & econverso, filius habet potentiam qua potest esse filius: habet ergo aliquid quam pater, quam non habet filius: & econverso. Absit: quia eadem est potentia patris, qua potest esse pater: & filii, qua potest esse filius. Ita etiam eadem est voluntas, qua pater vult esse pater non filius, & filius vult esse filius non pater: & eadem est voluntas filii, qua vult esse genitus & patrem genuisse: & patris, qua vult esse genitor & filium genitum esse.

DE VERITATE ET PROPRIETATE
& incommutabilitate & simplicitate
essentiae Dei.

DISTINCT. VIII.

Cap. 2.

NUNC de veritate siue proprietate, incommutabilitate atque simplicitate diuinæ naturæ, siue substantiæ siue essentiæ agendum est. Est itaque Deus, ut ait Augustinus in v. lib. de Trin. finē